



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Philippi Melanchthonis ad Alcorani lectorem Præmonitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

PHILIPPI MELANCHTHONIS

PRAEMONITIO AD CHRISTIANUM LECTOREM.



NITIO admonendus est lector Christianus, contra Mahometi furores, praemunitionem hanc piam & salutarem tenendam esse. Ecclesia Christi praefitetur doctrinam traditam per primos patres, prophetas, filium Dei & apostolos. Haec & prima est, & consentiens, & confirmata resurrectione mortuorum, & alijs inusitatis eventibus, quos imitari diabolica potentia non

potest. Agnoscimus igitur Ecclesiae doctrinam esse à Deo aeterno conditore omnium rerum traditam, & sine hoc uerbo nullas religiones recipiendas esse. Porro Mahometus palam fatetur, se prophetarum & apostolorum scripta abijcere, ac prorsus gignere aliud doctrinae genus. Quare haec recentes fabulae Mahometi nihilo plus mouere aut turbare Christianos possunt, quam ueteres furores Aegyptij, qui boves, feles, serpentes, tanquam numina colebant, & ab eis auxilium petebant.

Has superstitiones nihil dubium est, fuisse multo recentiores, quam uocem diuinam traditam Noe & eius filijs. Semper igitur nobis, qui scimus hoc uerbum per prophetas, Christum, & apostolos traditum, uere primum & diuinum esse, tenenda est regula, Nullas religiones sine hoc uerbo recipiendas esse. Ut abominamur Aegyptias superstitiones, Corybantum tympana, aut baccharum ululatus: sic Mahometi deliria abominanda sunt, quia pariter sunt extra prophetarum et apostolorum uerbum ac doctrinam. Nam Ecclesia uera Dei, extructa est super uerbum prophetarum & apostolorum; nec ullus usquam Dei populus cogitandus est, qui non amplectitur nec audit prophetarum & apostolorum scripta.

Hac sententia, quae est uerissima & certissima, primum praemunendi sunt animi contra furores Mahometi. Deinde eruditus conferre doctrinarum genera potest. Quid aliud dicit Mahometus, quam quod ethnicae religiones tradebant? Nihil adfirmat de remissione peccatorum, euomit blasphemias in filium Dei, non docet quid sit peccatum, non monstrat causas humanarum calamitatum, nihil potest dicere de uera inuocatione in fide: denique eam doctrinam quae propria est Euangelij, totam abijcit. Ideo facile potest intelligi, & pugnare Mahometum cum prima doctrina tradita per prophetas & apostolos, & tantum particulam doctrinae rationis humanae de lege, seu de mo-

ribus retinere, in qua ipsa tamen multa insunt foeda, & ad barbaras illas nationes coniungendas accommodata, inter quas primum exar sit hoc incendium.

Nominatim profitetur se hostem esse ijs populis qui inuocant filium Dei, & amplectuntur prophetarum & apostolorum scripta: & his populis hanc ipsam ob causam solam iubet inferri bella. Constituit igitur aeternum latrocinium, & parricidia. Deinde coniugium prorsus abolet. nam Mahometus concedit duci, & abijci, & abiectas reuocari in thalamum, quot quisque uult priuato arbitrio. Hæc longè dissident etiam à Mose, qui non concedit priuato arbitrio abijci uxorem, nec reuocari eam cum qua factum est diuortium. Quid quòd nefarias libidines concedit, propter quas Deus non tantum quinque urbes, sed etiam sæpe totas gentes deleuit.

Est igitur Mahometi secta confusio quædam ex blasphemijs, latrocinijs, & flagitijs & libidinibus conflata. Hæc sunt manifestæ notæ diaboli, quæ deterrere homines debent, etiam si propter regni potestatem, uictorias, & successuum magnitudinem leuia ingenia minus abhorrent à tanta impietate. Sed Christianos scire oportet, Ecclesiam in hac subiectam esse cruci, & sæpe imperia fuisse penes impias gentes.

Tertio & hoc utile est pijs, quærere ex ipsis prophetis & apostolis testimonia. Prædicunt post Euangelij propagationem Mahometi errores, eosque damnant. Nihil dubitandum, Daniele concionari de regno Mahometico, cum de paruulo cornu uaticinatur: quod inquit bellum inferre sanctis, & præualere eis, & loqui sermones contra excelsum.

Non frustra hæc præmonstrauit Deus ante Mahometum annis amplius mille. ac de Mahometo dici, inde liquet, quia post Romani Imperij inclinationem in Oriente, primum extulit caput Mahometi factio, prima subitis successibus regnum peperit, quod cæteris potentia antecelluit. Concionatur autem Daniel de regno, quod collabente Monarchia in oriente grassaturum erat, & quidem nouas blasphemias contra Deum armis propagaturum. Vides igitur pie lector, clara uoce Dei damnatos esse Mahometi errores ac regnum.

Esti autem liber Mahometi adeò refertus est prodigiosis fabulis, ut sani facile deprehendant authorem diabolum, qui talibus fannis deridet Deum & homines, tamen hæc lectorem præmonui, ut si quid fortassis alicubi minus scurriliter dici uideretur, tamen sciamus totum hoc poemata nihil plus ad nos pertinere, quam Aegyptiorum portenta, qui feles & serpentes inuocabant.

Illud postremo cogitandum est, quanta sit ira Dei, qui propter impietatem hominum sinit grassari hanc teterrimam pestem, & uere subijcit

P R A E M O N I T I O.

subiicit orbem terrarum regi pessimo. Hanc iram pñ deplorent, & sua pœnitentia & precibus lenire studeât. Ecclesia iam multis seculis partim Mahometica peste, partim idololatria pontificis Romani uastata & attenuata est. quæ ne penitus extingueretur, accendit Deus iterum E angelij lucē, ut aliqui liberētur ab æterna ira. Sed erit circa mūdi finem, qui instat, exigua Ecclesia. Ideo oremus Deum, ut potentiam diaboli grassantis in impijs imperijs compescat, & finem blasphemiarum, idololatriæ, & aliorum malorum faciat, & nomen suum glorificet, ac liberet Ecclesiam suam ab omnibus malis. Amen.

α 3